

VIRVM

PER-MAGNIFICVM MAXIME STRENVVM

GENEROSVMQVE DOMINVM

DOMINVM

IO. FERDINAND.

IVNGSCHVLTZIUM

ALIAS

NEODICVM A ROEBERN

PRAE-CONSVLEM, VICE-PRAESIDEM,

NEC NON

HOSPITALARIVM

LONGE GRAVISSIMVM

PRAESIDIS DIGNITATEM

DIE III. APRILIS A. C. MDCCLXIV

PRIMVM CAPESENTEM

DEMISSISSIMIS CONGRATVLATIONIBVS


PROSEQVITVR

LYCEVM DRVSIACVM

INTERPRETE DEVINCTISSIMO

EPHRAIM OHLERTO

LINGV. HEBR. ET GRAEC. P. P. EXTRAORD. ET R. M. CAND.



ELBINGAE

LITTERIS NOHRMANNIANIS.



i quid est, quod religionem christianam reddit
 commendatissimam: certo est sancti Apostoli
 Pauli effatum egregium, quo ad observantiam
 officiorum erga magistratus saeculares potestate
 praeditos hortatur omnes ac singulos, *omnis*,
inquiens, anima potestatibus supereminentibus subdita sit: non enim est po-
testas, si non a Deo: quae autem existentes potestates a Deo ordinatae sunt.
Quicumque se opponit potestati, Dei ordinationi resistit: Quicumque autem
resistunt; sibi ipsis damnationem accipient. Quae verba legimus ad Rom.
 c. XIII. v. 1, 2. Paucis itaque, Apostolo Paulo duce, agamus, *de officiis*
subditorum ex auctoritate magistratus saecularis deductis, cum Lyceum no-
strum diem hodiernum celebret festum inclytæ Reipublicae Praesidem recens
creatum feliciter, quod DEI est beneficium, salutans. Verborum ordinem
 sequentes *Primum* consideramus quaerentes: quisnam sit, in quem officio-
 rum subditorum cadit observantia? Apostolus Paulus *omnis*, inquit, *ani-*
ma, id est, omnis homo, cujuscunque sit sexus, aetatis, generisque.
 Utitur vocabulo de primaria hominis parte sumpto, per synecochon homi-
 nem designante, ut indicet, subditos non quoad corpus solum, verum ad
 animam etiam se subjicere debere, de quo in sequentibus plura. In ante-
 cedentibus Paulus de officiis in genere loquutus, ad singularia progreditur,
 ac primum de officiis iisdemque in potestates supereminentes incipit, quod
 citavimus, caput, variis motus rationibus, ex statu ecclesiae Romae plan-
 tatae & externo & interno depromptis. Fuerunt nimirum Judaeorum ad
 Christum converforum alii, qui contra potestates supereminentes seditionem
 faciebant, venditantes, se liberum DEI esse populum; gentium alii, qui
 illis quoque se subjicere volebant, putantes, haec cum libertate evangelica
 simul stare non posse. Quos animi errores, meris praejudiciis exclusos ut
 Apostolus destruat noxios, quin quod ostendat & Apostolos illis esse subdi-
 tos, neminem officiorum subditorum observantia excludens, caput his or-
 ditur, *omnis, inquiens, anima &c.* *Secundo* autem quaerimus: quibus-
 nam officia sint praestanda? Apostolus l. c. *omnis* inquit *potestati su-*
perhabenti subdita sit. Per potestates superhabentes omnes dominationes
 intelligit,

intelligit, omnesque principatus, non ordines solum judiciorum politico-
rum, sed etiam personas, potestate supereminenti praeditas, secundum ver-
sum tertium & quartum l. c. Quibus singulis esse debet subiecta omnis anima
sive sint fideles, sive infideles, ut suo tempore Nero, Caligula & alii; sive
sint boni sive mali. Pergit jam Apostolus ad officia, quae magistratui saecu-
lari sunt praestanda, & *Tertium* omnis, inquit, anima potestati superhabenti
subdita sit. Ad quod duo consideratum occurrunt. Primum, quibus in
rebus? deinde quomodo sint subditi? Res, quae a nutu magistratus depen-
dent, sunt vel temporales mundanaeque, vel spirituales divinaeque. Si
prius, ut exempli gratia tributum cui tributum; cui vectigal, vectigal; cui
timorem, timorem; cui honorem, honorem. v. l. c. versus sextus: utique
illos oportet obsequentur, sine respectu modi, quo ab illis ejusmodi expo-
scant, sive sit justus sive injustus, ad quod Jesu Christi exhortatio lectu
digna, praecipientis: quicumque te angariaverit milliare unum, vade cum
illo duo: quippe angariae, ut constat apud Chemnit. L. L. p. 2. de vindicta
quaest. 2. p. m. 134. angariae, inquam, fuerunt onera, quae injuste a ma-
gistratu imponebantur. Si autem posterius, quod scilicet ad spirituales divi-
nasque attinet, circa quas & eorum nutus versatur, vel cum voluntate DEI
consentiunt, nec ne. Quod ad illa, scilicet de sui proximique amore nec
non cultu DEI externo, debita in illos pietate sunt exsequenda; quod autem
ad hoc, ut mandatum regis Nebucadnezari de flectendis genibus imagini
auri, Judaeorumque de Christo non praedicando, illis pareant non sunt
obligati, secundum verba Petri: Obedire oportet DEO magis, quam homi-
nibus. Act. V, 29. Verum enim vero, quomodo illis subditi esse debeant,
docet Paulus alibi cum timore, inquit, & tremore, in simplicitate cordis
sicut Christo: non secundum ocularem servitutem, quasi hominibus placentes,
sed ut servi Christi, facientes voluntatem DEI ex animo. Eph. VI, 5. 6.
Ut autem Christiani eo faciliores sint officiorum observandorum: Apostolus
l. c. quartum scilicet argumenta adducit, *non enim, inquit, est potestas se
non a Deo: quae autem existentes potestates, a Deo ordinatae sunt. Itaque
se opponens potestati, ipsi Dei ordinationi resistit. At resistentes ipsis damna-
tionem accipient.* Magni res est momenti. Quam ob causam illa singulatim
lustremus! Primum argumentum his continetur verbis: *non enim est potestas,
si non a Deo.* A DEO esse idem est ac a providentia DEI, ejusque nutu de-
pendere. Quo judiciorum politico-
rum non solum actiones, circa quas
DEVS vel effective vel permissive versatur, pertinent, sed etiam modus,
quo personae ad magistratus dignitates perveniant, sive ad illam vel a supe-
rioribus vel ab inferioribus creentur, sive illam ex jure haereditatis vel ex
jure belli consequantur. Conditione autem, in textu occurrente: *si non,*
utitur Paulus, ut doceat: nullum praeter DEVM tanta esse auctoritate, quanta
requiratur, ut huic vel illi magistratus dignitas conferatur. Quis est itaque
qui potestati supereminenti officia recuset subditorum? quippe *potestates exi-
sistentes*, ut Paulus loquitur, *a Deo ordinatae sunt.* Videtur hoc argumento
secundo participialiter expresso, Apostolus magistratus suo tempore prae-
pimis ante oculos habere, qui nimis erant distincti a potestatibus olim super-
eminentibus. Nam initio, priusquam Nimrod dignitatem saecularem ca-
pesseret, anno mundi MDCCXVII, inter populum Israeliticum Primogeniti
regnaverunt, quibus & fratres & posteri erant subditi. Alii alio tempore,
quos sequuti sunt Imperatores Romani, quos docet Apostolus quoque a
DEO esse ordinatos, id est, ab aeterno determinatos ita ut contra statuta
tempora & terminos habitationis, ab ipso DEO definitos, agere nequeant;
per

per consequens imperium romanum, sub quo fideles vitam agebant suam, a DEO esse rati habitum, determinatumque ita ut ultra ejus Velle contra illos suscipere valerent nihil. O quae quantaque obligatio omnibus ac singulis scitu necessaria! Cui Apostolus novum adjicit argumentum & magistratus saeculares magnificat ordinem DEI, *quicumque*, inquit, *se opponit potestati, ipse Dei ordinationi resistit*. Si itaque quartum jam contemplamur: quaerimus, ut clarius evadat, quid sit: potestati se opponere? quid, DEI ordinationi resistere? Potestati se opponere, est, vel nullam statuere potestatem vel statutam vilipendere. DEI autem ordinationi resistere, est, seditionem facere, rebellare, quo omnis pertinet in obedientia, qua magistratus mandata, quae legibus nec DEI, nec naturae sunt adversa, non exsequimur. Quod Apostolus DEI appellat ordinationem, causam efficientem respiciens, alibi ordinationem humanam propter causam finalem, quae est hominum felicitas ex potestate supereminenti in homines quoscunque redundans, nominat. Ast, si hujus actionis moralitatem nobis ob oculos ponimus, certo certius est mala, gravissimaque poena digna, quam Apostolus his exprimit verbis: *resistentes autem sibi ipsis damnationem accipient*. Licet Paulus in specie poenam a magistratu ejusmodi rebellantibus inferendam, ut ex sequentibus apparet, intelligat: nihilo tamen minus illos a poena & aeterna excludit, dum in genere utitur vocabulo in textu autentico, quod per metonymiam ponitur pro condemnatione, quodque omnis generis involvit condemnationes, sibi ipsis, inquit, *damnationem accipient*. Ex quibus videndum est, quanta sit magistratus saecularis auctoritas, quanta ex illa subditorum quorumcunque obligatio? Quid jamjam de istis temporibus, iisque terrae regionibus, in quibus summa rerum Potiti Deum unum, unumque DEI & hominum mediatorem, hominem, Jesum Christum consistunt, semetipsum traditum redemptionem pro omnibus, quid, inquam, dicemus? o Terque quaterque Beata! Quid de subditis eorumque in illos subjectione? o feliciter subjecti! Quid de solatio, magistratibus saecularibus proprio? Vobis, o Magnates, haec doctrina solatio est, si cogitatis, Vestram dignitatem unacum molestiis connexis, DEO supremo rerum humanarum arbitro, non solum curae cordique esse, verum etiam legitimum ejus usum & aliis & Vobismetipsis insignem procurare utilitatem atque remunerationem aeternam.

RESPUBLICA ELBINGENSIS PRAESIDE recens creato, nec non divinitus instituto hodie condecoratur. Grata mente hoc beneficium colimus & TIBI, DOMINE, honorem debitum, reverentiam unacum timore, amore, obedientiaque praestamus. Anxiose curent liberi, qui Patri quam Optimo curae, cordique? TE, PRAECONSVL, vere Patriae Patrem, quod a DEI gloriam magnificat quisque, adhuc sumus experti. Quid mirum, si universa respublica, TE Praefidis dignitates primum capeffente, adplaudit, exclamans: o me felicem, sub tutela, *Optimi, Aequissimi, Justissimi, Christianissimique* florecentem! DEVS, qui TEcum, exaudiat vota nostra & TE faciat prosperantem, prosperareque omnia per manum TVAM! TE unacum GENTE TVA Generosissima ad feros usque servet annos, salvam ac incolumem & jubeat studia FILIORVM TVORVM ornatissimorum, qui gloria & honor Gymnasii nostri, quique spes PATRIAE OPTIMA fortunam concomitari tantam, quanta jam in illa diligentia incumbant ac pietate. Caeterum audiat DEVS vota nostra, & quae optavimus, faciat bona!